

244.

1713.6.

I. N. D.
DISPUTATIO INAUGURLIS
JURIDICA
DE
DECIMIS,
Quam

*Sub Tutela divini Numinis
Ex Decreto & authoritate
Magnifici, atque Amplissimi Jurisconsultorum
Ordinis*

*In Universitate Argentoratensi
Pro Licentia*

*Summos in utroque Jure honores, & Privile-
gia Doctoralia rité consequendi*

*SOLENNI eruditorum Examini subjicit
ad D. 22. Mens. Jun. Anno M DCC XI.*

**JOHANNES UDALRICUS HER-
RENBERGER,
Benfeldensis.**

*ARGENTORATI,
Literis DANIELIS MAAGIL*

D E O
OPTIMO MAXIMO
FAUTORIBUS
ET
AMICIS.



O. A. M. D. G.

De

DECIMIS.

Præloquium.

Cum præstatio aliquujus portionis ex omnibus fructibus in recognitionem gratitudinis erga divinum numen, in sustentationem eorum, qui spiritualia ministeria pro aliis faciunt, non solum naturali ratione homini sit inculcata, sed etiam tandem, Deo ipso ita imperante, in necessitatem legis transferit, *Levit. cap. 27.* & *Num. cap. 18.* exinde ad similitudinem veteris legis præceptorum piorum in primitiva Ecclesia Christianorum consuetudine factum,

A 2

ut

ut ministrantibus spiritualia quoque sufficiens sustentatio fuerit subministrata, ut apparet in *Act. Apost. cap. 4. 5. & 6.* Itaque cum jus decimarum veteri jure inductum, & per consuetudinem confirmatum, atque multis in recentiori ævo sanctionibus informatum nostro adhuc tempore observeatur, hinc notius esse constat, quam, ut aliquid de eodem in publico ventilare necesse sit. Attamen, cum non paucas hinc inde lites circa Juris hujus materiam emergere videamus, ut in foro judiciali frequentiam, & rixarum occasionem faciant, exinde etiam quasdam de DECIMIS Controversias pro Themate inaugurali in hac alma atque splendidissima Universitate proponendas elegi: Sit ergo

Con-

Controversia I.

*Utrum Decimæ Juri Divino,
 & Naturali potius, quam
 Juri humano, sive Eccle-
 siastico sint adscribendæ?*

PRIORIS defensionem amplexus est Petrus Rebiffus in Tract. de Decimis Q. i. n. ii. Johannes Andraas in cap. ult. Extr. de Parochius. qui indistinctè quarumcumque Decimarum introductionem Juri divino & naturali adscribendam, eodemque jure decimas solvendas esse Existimarunt, quorum opinionem manifestè confirmat Glossa in cap. i. in verb. Decimarum: de Decimis in 6. & quidem fundamentum videtur esse in ipsis sacris litteris, nimirum Deuteronom. cap. 12. offeretis, inquit textus in loco illo holocausta, & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestiarum. Sané Christus Matth. 23. nil aliud innuere

A 3

vide-

videtur, dum enim exprobraverat scribis, & Pharisæis, decimas quidem præstitas esse ab iis, graviora vero legis relictæ, subjunxit, *hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

Accedit, quod in facrorum Canonum Sanctionibus præcipue in cap. *Tua nobis* 24. *X. de Decimis.* & cap. *tua* 25. eodem, cap. *Patrochianos* 24 eodem, dicitur, quod decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino sunt constitutæ, & quod divinâ constitutione debeantur.

Posset tamen è contrario Statui, Decimas humano tantum, & Ecclesiastico Jure deberi, cum, contraria consuetudine, aut etiam præscriptione, & privilegio, aliisque legitimis titulis præstationi decimarum derogari videamus, ut infra Statuemus *Controversia* 5. quæ omnia in Jus divinum cadere non convenit, quippe quod omnes comprehendit, adeoque mutabilitati non est obnoxium cap. 5. & 6. dist. 8.

Nos

Nos in hoc Doctorum dissensu veriorum eorum sententiam arbitramur , qui censem , jus decimarum partim esse Juris divini , & naturalis , partim humani , & Ecclesiastici , in quantum nimirum decimæ subserviunt alimentationi clericorum , & ad necessariam eorum vitæ sustentationem pertinent , ac ita quoad substantiam considerantur , haec tenus Juris divini & naturalis esse dicuntur , quoniam , qui in Sacrario operantur , quæ de Sacrario sunt , edunt , & qui altari deserviunt , cum altari participant . *i. ad Thim. 5. i. ad Cor. 9.* adde cap . *Math. 10. v. 10. Luce 10. v. 7.* vid . Streinius in *Summa Jur. Canon. part. 2. T. 2. de Decimis 5. 1. n. 3.* Johann Werndle *J. V. D. in opusculo von dem Behend Recht. Lib. 2. cap. 6. § 5.* Si vero respiciamus ad determinatam decimæ partis quantitatem , eam juris divini Mosaici fuisse , & consuetudine piorum , ac justâ Ecclesiæ Constitutione renovatam esse dicemus , eo quod nulla lege divi-

divina apud Christianos cautum sit, ut decimæ, id est decima pars fructuum præcisè exsolvantur. *Canisus in prælectionibus academicis ad T. de decimis cap. 3. n. 7.*

Hinc patet quoque, quid ad objecta sit regerendum; scilicet, Veteris Testamenti præcepta talia per mortem Christi esse sublata; Textus vero Evangelicos, ut & Juris Canonici, quatenus de quota decimarum loquuntur, respicere ad observationem legis veteris ex libera voluntate humana promanantem.

Controversia II.

An in privilegio decimas percipiendi, comprehendantur Decimæ novalium?

Pro affirmativa militat effatum Favole ni fcti in l. 3. ff. de Constitut. princip. Principis scilicet privilegium plenissimam interpretationem recipere, addatur cap. cum

Dile-

(7.)

Dilecti 6. in fin. X. de donationibus.

Porro his addenda venit regula Juris, quâ usus est summus Pontifex, cum specialiter de Decimis pronuntiavit in cap. ex parte tua 27. X. de decimis. cum tibi quod majus est, habet textus, sit concessum, ut videlicet decimas de labo-ribus terræ parochiarum tuarum cum inte-gritate percipihas, de novalibus eas exigere satis potes, quia, subjunxit, ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur. Ubi itaque decimæ generaliter conceduntur, potius existimandum venit, decimas novales quo-que comprehendendi.

Verum nobis opinio negantium ma-gis probatur, & decisioni Innocentii III. Pontificis in cap. cum contingat. 29. X. de Decimis. inhærendum arbitramur, quod, cum perceptio Decimarum ad Parochiales Ecclesias de Jure communi pertineat, De-cima novalium, quæ sunt in parochiis ea-rundem, ad ipsas procul dubio pertinere no-

B

scan.

scantur, non obstante titulo alteri alicui
 decimas in illo loco percipiendi, compe-
 tent; priviligium namque odiosum o-
 nino restringendum cap. odia 15. de R. 1. in 6.
 neque præsumendum, Pontificem cum
 alicui titulum percipiendi decimas conces-
 ferit, etiam decimas Novalium concessisse,
 & ita curato loci Jus omne decimandi ad-
 emisse, vel saltem minuisse. D. Werndle in
 d. opusc. von dem Zehend. Recht. Lib. 4.
 cap. 4. conclus. 3. Rebuffus Tr. de decimis qu.
 14. n. 29. Non enim pati vult Pontifex,
 ut Ecclesiarum vel Clericorum jura præ-
 sumptione quilibet minuantur cap. Tua
 nobis 26. §. ult. X. de Decimis, conferatur
 Canisius d. Tit. de Decimis cap. II. n. 6. Ac-
 cedit insuper, quod jure decimandi in feu-
 dum concessso laico, non veniant decimæ
 novalium juxta cap. tua 25. §. fin. X. de deci-
 mis. cum & hæc concessio odiosa præju-
 dicans Ecclesiasticis juribus restringi potius
 debeat, quam ampliari, Canisius d. Tr. de de-
 cimis cap. II. n. 5.

Ad

Ad objectam amplam privilegii interpretationem respondendum venit, eam habere locum, ubi non vergit in præjudicium alterius, per cap. quamvis. 8. de Rescriptis in 6. § 1. 2. §. si quis à Principe 16. ff. nequid. in loco publ. caput autem ex parte tua de singulari casu agit, ubi decimæ ad Ecclesiastiam propriam reversæ sunt, unde non mirum, si amplietur concessio, eo, quod res ad pristinam naturam redeat, comprehensdens ex Jure Communi decimas Novalium.

Cæterum hanc decisionem limitandam esse fatemur, si ab iis, qui alias percipiunt decimas, rationabilis causa ostendatur, per quam adpareat, novalium ad eos decimas pertinere d. cap. cum contingat in fine. vid. D. Werndle dict. Tract. lib. 4. cap. 4. concl. 3. §. 2. § 3.

Controversia III. Utrum Episcopus, vel Prælatus, Feudum Decimarum

B 2

ante

ante Concilium Lateranense Laico concessum , & postea ad Ecclesiam reversum , iterum laico in Feudum dare possit ?

Neganda esse videtur ex eo , quod laici Juris decimarum , Sancientibus ita facris Canonibus , incapaces habeantur cap . Causam 7. X. de præscriptionibus . quippé cum hoc jus spirituale cap. ult. X. de rerum permittat . atque sanctuarium Dei dicatur in cap. adhac 15. X. de Decimis . Canisius de decimis cap. 13.n. 1. & 2. Addatur , quod in cap prohibemus 19. X. de decimis . Concilii Lateranensis authoritate laici detinentes decimas , easdem in alios quocumque modo transferre prohibeantur ; Ergo concludendum , decimas , de quibus laicus Jure Feudi erat investitus , ad Ecclesiam reversas , ultiro in laicos conferri nullā prorsus

(n.)

sus ratione licere, confer. *Canisius de decimis cap 14. num. 3.*

Verum enim vero affirmantium opinioni calculum nostrum addimus, siquidem decimas, laico semel Feudi nomine concessas, per ipsam translationem in laicum alienabiles factas esse extra dubium est, & consequenter perpetuo alienabiles manere dicendum venit. *arg. l. pater 38. §. quindecim. l 5. ff. de legat. 3. l. ult. C. de remission. pignoris.* Nimurum qualitatem, quod alienationi in laicos sint obnoxiae, retinent, quotiescumque ad Ecclesiam revertuntur, & sic in laicos iterum transferri possunt, siquidem nulla hic novi decimorum Feudi constitutio reperiatur, sed antiqui tantum legitime constituti continua-
tio observetur *vid. Werndle d. opusc. lib. 3. cap. 1. qu. 2. in fin. ubi asserit, hoc etiam in Curiis Episcopalis in Germania obser- vari.*

Ad loca in oppositum allegata respon-
B 3 de-

demus cum Covarruia variarum Resolut.
lib. 1. Cap 7. num. 5. ea exaudienda esse vel
de decimis ante Concilium Lateranense,
circa annum reparatæ salutis , millesimum
centesimum septuagesimum nonum cele-
bratum , nullo infeudationis titulo à Laicis
possessis , vel de iis , qui quidem decimas Jure
Feudi obtinent , sed debita obsequia non
præstant Ecclesiis , à quibus eas in Feudum
recognoscunt.

Controversia IV.

*An Decimæ prædiales non
solutæ sequantur possessio-
rem prædii?*

Casus quæstionis hic erit : Titius fundi
sui decimas non solvit , & postea eun-
dem fundum transtulit in Mævium , quæ-
ritur itaque , an Mævius fundi possessor de-
cimas à Titio ante non solutas Domino
Decimatum inferre cogatur ?

Affir-

Affirmativé hanc controversiam decidendam esse suadent verba in L. Imperatores 7. ff. de publicanis. ubi Antoninus & verus rescriperunt: in vectigalibus ipsa prædia non personas conveniri, & ideo possessores etiam prateriti temporis vectigal solvere debere.

Porro in l. 2. & 3. C. Sine censu, vel reliquis. hoc quoque decisum reperitur, possessores scilicet fundi tributarii convenientdos esse etiam quo ad tributa ante non soluta.

Sanè cum decimæ veniant nomine tributorum egentium animarum, ut vocantur in cap. tua nobis 27. X. de decimis potius Statuminandum est, novum possessorem conveniri debere in casu à nobis proposito; Panormit. in cap. cum homines 7. n. 6. X. de decimis quam sententiā etiam habet Gloss. in cap. pastoralis 28. X. de decimis. lit. G.

Hæc autem tanti momenti non sunt, ut à negativâ nos avertant, nimirum: Mævium

vium possessorem , ad quem fructus non
pervenerunt , ad satisfactionem decima-
rum in nostro casu non esse cogendum,
sed solum Titum propter fructus fundi ab
eo perceptos . Decimæ enim , secus , ac-
tributa , non fundum afficiunt , sed solos
fructus , qui à prædiorum solo separati
onere decimarnm affecti dicuntur , ita , ut
ad quemcunque transeunt , eos quoque Ius
decimandi comitetur *cap. cum homines 7.*
cap. Pastoralis. 28. vers. fructus. cap. cum
non sit. 33. X. de decimis. Sed & analogiæ Ju-
ris est conveniens , siquidem in elocatis
prædiis non Domini prædiorum , sed eo-
rum conductores convenienter decima-
rum nomine *cap. Dilecti 8. cap. à nobis.*
24. & cap. tua nobis. 26. X. eodem. namque
res cum suo onere transit in alium *l. alie-*
natio 67. ff. de contrah empt. conf. D. Wern-
dle. d. Tr. lib. 3 cap. 6. §. 9. 10. & 12. Streinius
in Summa Jur. Can. part. 2. T. 2. de decimis
§. 4. n 5.

Cæte-

Cæterum , quod ab initio pro affirmativa propositum fuit, decimas nominari tributa egentium animarum ; id salvari , vel aliter defendi non potest , nisi in latiori significatione , pro ut tributum pro quavis datione , vel cessione accipiatur.

Controversia V.

An immunitas à non præstandis decimis consuetudine , aut præscriptione acquiri possit ?

Hæc quæstio , quo ad utrumque ejus membrum , neganda esse videtur , & sane dicendum venit consuetudinem talem corruptelam esse potius , quæ laicos omnino ab omnium personalium & prædialium decimarum solutione , & obligatione emit in aliqua regione vel provincia , etiam si ibidem Sacerdotes Spiritualia ministrantes aliundè , quam ex decimis , congruè pos-

C fint

sint alimenta percipere ; nimia etenim
hæc est exemptio , si quidem ex ea tollitur
recognitio , quam , justissimum & æquissi-
mum est , sacerdotibus ministrantibus spi-
ritualia exhiberi , aliquo præstito stipendio ;
ex inde hæc consuetudo tanquam irratio-
nabilis ab Episcopis omnino rescindenda
Covarr. variarum resolut. lib. i. cap. 17. n. 8.
in fin. Non minus nemo libertatem nul-
las solvendi decimas præscribere posse vi-
detur , cum DEus sibi reservaverit decimas
in signum universalis Dominii *cap. tua no-*
bis. 26. E cap. cum non sit 33. X. de decimis ,
nec subtrahenda sunt alimenta egentibus
animabus *arg. l. necare ff. de lib. agoscen.*

Accedit , quod ita præscribere nitens in
mala fide sit constitutus , saltem præsumpti-
one Juris , cum contra jus agat . *cap. qui con-*
tra 32 de R. lin 6 juncta l. quemadmodum 7.
C. de Agricolis E censibus E c. talis vero præ-
scribere nequit *cap. fin. X de præscript. E cap.*
possessor. 2. de Reg. Jur. in 6. Quod eo ma-
gis

gis afferendum , qnia, ut ait Pontifex in cap. causam 7. X. de præscript. cum laici decimas detinere non possunt , eas nulla valent præscribere ratione.

His tamen rationibus non absterremur à sententiâ affirmativâ , & quidem de consuetudine eandem foviisse credimus Innocentium III. in Concilio generali Lateranensi. cap. in aliquibus 31 §. fin. X. de decimis. illæ quippe, inquit, decimæ necessario solvenda sunt , quæ debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata , quæ verba licet passim à D. D. varié accipientur, hanc interpretationem voluisse videtur Innocentius, ut decimæ solvantur juxta quantitatem lege divinâ constitutam , quam piorum consuetudo , & denique Ecclesia ex Veteri Testamento desumptam novâ sanctione reduxit & innovavit, ut accidit, ubi decimæ solvuntur integræ ; vel juxta quantitatem consuetudine loci receptam, ut sit, ubi solvitur minor, quam decima

pars, quamvis vulgari more loquendi decimalum vocabulo proferantur, *Bellar-*
minus Controvers. s. lib. 1. cap. 25. de deci-
mis, dub. 1. &c.

Accedit, quod privilegio summi Pontificis talis immunitas dari possit, *cap. 3.*
cap. 9. cap. 10. X. de decimis. & passim in
orbe Christiano consuetudine receptum,
ut ex certis fructibus nullæ solvantur decimæ, vel saltem aliqua portio tantum; de
Gallia, & Hispania Testatur ipse *Covarr. d.*
lib. cap. 17. num. 8. vers. 7. ex quo patet,
nullum fore impedimentum, quo minus &
in cæteris rebus eadem ratione consuetudo
talis induci possit *Canisius cap. 17. n. 9.*
confer. D. Werndle d. Tr. lib. 3. cap. 9.

De præscriptione eadem afferere non
dubitamus, siquidem laicus præscribere potest,
ut solvat duodecimam, vel aliam par-
tem *arg. Textus in cap. ad Apostolicae cap.*
in aliquibus. S. ille vero. & cap. Dilecti. X. de
decimis. D. Werndle d. Tract. lib. 3. cap. 7.

§. 4.

§. 4. quare etiam concludendum , quod
integra exemptio à decimis præscriptione
acquiri possit , cum ejusdem naturæ sit pars
cum suo toto l. quæ de toto 76 ff. de rei vind.
Rebuffus in Tr. de decimis qu. 13. n. 51.

Porro hæc immunitas nil aliud est ,
quam Jus percipiendi ex agris propriis fru-
ctus integros absque detractione decima-
rum , quod nec spirituale est , nec laicis ad-
emptum *Covarr. d. lib. 1. cap. 17. n. 10. D.*
Werndle loco allegato. Jura in contrarium
allegata loquentia de decimis integré sol-
vendis accipienda sunt de integritate solita.

Sed hæc ita accipi volumus ut ministris
spiritualium sustentatio salva reservetur.

Controversia VI.

*An judex Secularis in Judi-
cio Possessorio de decimis
recte cognoscat ?*

Negativæ patrocinatur , quod supra tra-
ditum , jus scilicet decimarum esse

C 3

spi-

spirituale, & ob hanc etiam rationem causas circa illud obvenientes à judice Ecclesiastico esse dijudicandas, à quo proprietatis Jure ad possessionem haud male deducitur argumentum, cum accessorium sequatur naturam sui principalis, & per consequens sub eodem Judice debeat manere, *cap. i. X.*
clem. unic. de causa possessionis & *proprietatis. Clem. dispensiosam de Judiciis. conf.*
Stren. in Summa Juris Can. part. 2. T. 2.
de decimis §. 7. n. 5. in fin. ubi etiam docet, hanc sententiam esse rationi, & Juri conformiorem, si quidem proprietas & possessio quoad cognitionem Judicialem velut connexa, omnem divisionem respon-
ant *juxta. l. nulli, 10 C. de judiciis.*

Sed contrariae tamen sententiae potius in-
hærendum esse censemus; ubi enim de sola
decimarum possessione acquirenda seu re-
tinenda aut recuperanda, contra laicum agi-
tur, non minus Secularis, quam Judex Eccle-
siasticus adit, cum hæc res utriq; foro subji-

ciatur arg. cap. 2. de Jurej. in 6. & cap fin. de
foro competente lib. eodem. Canisius citat. loc.
cap. 18. n. 14. in fin. Nimirum eadem ra-
tiones spectandæ veniunt in decimis, quæ
in plurimis aliis ejusmodi rebus spirituali-
bus, ut est matrimonium, & Juramentum;
siquidem in illo recte cognoscit judex Se-
cularis, si adulterio violatum esse dicatur,
recteque restituit conjugem, si ab altero
discesserit, compellitque conjuges ad præ-
stanta mutua obsequia, cum hæc in facto
consistant, & possessionem magis matri-
monialem, quam Jus sive proprietatem
matrimonii concernant, similiter videmus,
& pro Juramenti observatione Judicem
laicum adiri, etiamsi Juramentum rerum
spiritualium numero habeatur, ut est in cap.
2. de Jurejurando in 6. Canisius d. cap. n. 13.
quam ob rem, non male Seculari foro Ju-
dicium possessorum decimarum subjici af-
serimus; præcipue, cum nihil commune
habeat proprietas cum possessione, per Tex.
in l.

in l. naturaliter. 12. §. 1. ff. de acquirenda pos-
sessione. Confer. Gloss. in cap. litteras de Ju-
ramento Calum. & D. Werndle d. tr. lib.
4. cap. 6. ubi etiam testatur ubique fere in-
ter Principes territoriorum, & ordinarios,
singulares hac de re conventiones existere:
ibique aliquas enumerat, vi quarum ple-
rumque causa petitorii coram Ecclesiastico
& possessorium coram utroque ventiletur.

Nec obstant supra adducta; non
enim verum est, possessionem rei spiri-
tualis esse spiritualem; quamvis enim ex ef-
fectu possessionis aliquod commodum
capiatur, quod in laicum non cadit, posse-
sio tamen per se spectata non dicenda
est spiritualis vid. *Canisius de deci-*
mis cap. 8. n. 14. in fin.

F I N I S.

[O]

Strassburg Diss. 1711-15

X 2310583

Farbkarte #13

B.I.G.

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



I. N. D.
DISPUTATIO INAUGURLIS
JURIDICA
DE
DECIMIS,
Quam

*Sub Tutela divini Numinis
Ex Decreto & autoritate
Magnifici, atque Amplissimi Jurisconsultorum
Ordinis*

In Universitate Argentoratensi
Pro Licentia

Summos in utroque Jure honores, & Privile-
gia Doctoralia rité consequendi

SOLENNI eruditorum Examini subjicit
ad D. 22. Mens. Jun. Anno M DCC XI.

JOHANNES UDALRICUS HER-
RENBERGER,
Benfeldensis.

*ARGENTORATI,
Literis DANIELIS MAAGIL.*

244.

1771, 6.